

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis  
Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Reuerendo uiro, D.Ioanni N. fideli doctori theologiae in inclyta Academia  
Francofordiana,fratri suo colendo

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](#)

esse. Ideo ualde uos oro, ut eū iuuetis, donec ei insueniemus honestum locum, ubi mercedem ex labore docendi mediocrem habere poterit. Talia ingenia Respub. debebat eligere ad conseruationem literarum, pro utilitate posteritatis. Sed potētes hac cura parum adsciuntur. Deus tamen seminaria aliqua seruat: & ut seruat, eum oremus. Sicut scriptum est: Orate, ut extrudat Deus idoneos ministros. Bene & feliciter ualete. Die 6 Iunij, 1547.

Philipus Melanchthon.

Reuerendo uiro, D. Ioanni N. fideli doctori Theologiae in inclyta Academia Francofordiana, fratri suo colendo.

S. D. Reuerende uir, & charissime frater. Affirmat filius Dei, illum esse beatū, qui inuento margarito, id est agnita Euangelij luce, id margaritum emit, uenditis omnibus possessionibus alijs. Hac uos consolatione, qui exulatis, & patriam reliquistis, confirmate, quod filius Dei uos tuebitur, & beatos faciet, etiam si cōmoda magna amisiſtis. Fruemini autem nunc margarito, id est, amara crustula, doctrina crucis. Talis est & hic Linus noster, qui natus est in gente Scotica: reliquit patriā et opes non paruas, ut ab idolis abesset, & doctrinæ limpidos fontes cognosceret. Comperi esse doctum uirum,

¶

er uera pietate Deum colentem. Quare cum dili-  
go, & quantum potero ei opem feram: teq[ue] etiam  
oro, ut cum complectaris. Scis Deum uelle, ut ta-  
lium hospitum cura afficiamur: & ego nos Germanæ  
nos præcipuè debere gratitudinem Scoticæ genti  
iudico, quia ab ipsis doctrinam Euangelij & lite-  
ra olim accepimus, cum Ecclesiæ armis Henetorii  
& Hunnorum in Germania delectæ essent. Bene &  
feliciter uale, Calend. Augusti, 1556.

Philippus Melanchthon.

Reuerendo uiro, D. Georgio Buch-  
holtzero, fratri suo charis-  
fimo,

S. D. Reuerendu uir, & amice charissime. Hic  
N. N. N. cum natu sit in Marchia, mallet seruire  
studij patriæ: & cum auditerit Stanhusium reli-  
cturum esse scholam Berlinensem, ipse petit sibi eam  
commendari. Recetè doctus & modestus est, & mo-  
deratis consilijs obtemperabit. Quare te oro, ut ijs  
ad quos hec deliberatio pertinet, eum commendes.  
Mitto tibi exempla de principe Georgio, quorum  
unū trades illustrissimo principi Electori. Qui ue-  
niunt ex Pannonia, adfirmant Turicum tyrannis  
promittere Pannonie inducias in sexennium. Nam  
ipse domesticis calamitatib. retinetur. Interfecit fi-  
liū maximū natu, falso accusatū à genero, homine  
Rutheno.